



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Quæ sit eius materia? 2

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

liter largiri, in quantum est actus virtutis, ad beatitudinem ordinatur.

Ad tertium dicendum, quod sicut Philosoph. dicit in 4. Ethic. \* illi qui consumunt multas res in intemperantijs, non sunt liberales, sed prodigi. Et similiter quicumque effundit quæ habet, propter quæcunque alia peccata. Vnde & Ambros. \* dicit in 1. de Offic. Si adiuues eum, qui possessiones aliorum eripere conatur, non probatur largitas. Nec illa perfecta est liberalitas, si iactantiæ causa magis quam misericordiæ largiaris. Et ideo illi qui carent alijs virtutibus, licet in aliqua mala opera multa expendant, non sunt liberales. Nihil etiam prohibet aliquos multa in bonos vsus expendere, & habitum liberalitatis non habere: sicut & aliarum virtutum opera faciunt homines, antequam habitum virtutis habeant, licet non eodem modo quo virtuosus, vt supra dictum est \*. Similiter etiam nihil prohibet aliquos virtuosos, licet sint pauperes, esse liberales. Vnde Philosophus dicit 4. Ethic. † Secundum substantiam, id est, facultatem diuitiarum, liberalitas dicitur. Non enim consistit in multitudine datorum, sed in dantis habitu. Et Ambros. dicit \* in 1. de Offic. quod affectus diuitem collationem, aut pauperem facit, & pretium rebus imponit.

ARTIC. II.

*Verum liberalitas sit circa pecunias?*

591  
*Inf. ar. 3.*  
*Et 1. 2. q. 60. ar. 5.*  
*10. q. 13. a. 1. co. fi.*  
*Et 4. eth. co. 1. fin.*  
*\* c. 1. 10. 5.*  
*† c. 5. 6. 10. 5.*

**A**D secundum sic proceditur. Videtur, quod liberalitas non sit circa pecunias. Omnis enim virtus moralis est circa operationes, vel passiones. Esse autem circa operationes, est proprium iustitiæ, vt dicitur in 5. Ethic. \* Ergo cum liberalitas sit virtus moralis, videtur quod sit circa passiones, & non circa pecunias.

‡ 2. Preterea, Ad liberalem pertinet quarumcumque diuitiarum vsus. Sed diuitiæ naturales sunt veriores quam diuitiæ artificiales, quæ in pecunijs consistunt: vt patet per Philosophum † in 1. Politic.

tic. † Ergo liberalitas non est principaliter circa pecunias.

¶ 3 Præterea, Diuersarum virtutum diuersæ sunt materiæ: quia habitus distinguuntur secundum obiecta. Sed res exteriores sunt materiæ iustitiæ distributiæ & commutatiuæ. Ergo non sunt materia liberalitatis.

SED contra est, quod Philosophus \* dicit in 4. Ethic. quòd liberalitas videtur esse medietas quædam circa pecunias. *c. 1. circa med. 10. 5*

RESPONDEO dicendum, quòd secundum Philosophum \* in 4. Ethic. ad liberalem pertinet emissiuum esse. Vnde & alio nomine liberalitas, largitas nominatur: quia quod largum est, non est retentiuum, sed est emissiuum. Et ad hoc idem pertinere videtur etiam nomen liberalitatis. Cum enim aliquis a se emitte, quodammodo illud à sua custodia & dominio liberat, & animum suum ab eius affectu liberum esse ostendit. Ea verò quæ emittenda sunt ab vno homine in alium, sunt bona possessa quæ nomine pecuniæ significantur. Et ideo propria materia liberalitatis est pecunia. *\*c. 1. 10. 5*

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut \* dictum est, liberalitas non attenditur in quantitate dati, sed in affectu dantis. Affectus autem dantis disponitur secundum passiones amoris & concupiscentiæ, & per consequens delectationis & tristitiæ, ad ea quæ dantur. Et ideo immediata materia liberalitatis sunt interiores passiones. Sed pecunia exterior est obiectum ipsarum passionum. *In sol ad arg. 3. p. 1. art.*

Ad secundum dicendum, quòd sicut August. dicit \* in lib. de Disciplina Christ. Totum quicquid homines in terra habent, & omnia quorum sunt domini, pecunia vocatur: quia antiqui, quæ habebant, in pecoribus habebant. Et Philosophus dicit \* in 4. Ethic. quòd pecunias omnia dicimus, quorum dignitas numismate mensuratur. *\*cap. 1. a med. 10. 9*

Ad tertium dicendum, quòd iustitia constituit *\*in prin. lib. 10. 5.*  
 Sec. Sec. Vol. 13.      Si      æqua-

642 QVÆST. CXVII. ART. III.  
æqualitatem in istis exterioribus rebus. Non autem ad eam propriè pertinet moderari interiores passionés. Vnde aliter pecunia est materia liberalitatis, & aliter iustitiæ.

ARTIC. III.

*Virum vti pecunia sit actus liberalitatis?*

592  
Inf a 4.  
Et quo 5  
a. 23. ad  
1. Et 4.  
Et co. 4.

**A**D tertium sic proceditur. Videtur, quòd vti pecunia non sit actus liberalitatis. Diuersarum enim virtutum diuersi sunt actus. Sed vti pecunia conuenit alijs virtutibus, sicut iustitiæ & magnificentiæ. Non ergo est proprius actus liberalitatis.

¶ 2 Præterea, Ad liberalitatem non solum pertinet dare, sed etiam accipere & custodire. Sed acceptio & custodia non videntur ad vsum pecuniæ pertinere. Ergo inconuenienter dicitur proprius actus liberalitatis vsum pecuniæ.

¶ 3 Præterea, Vsum pecuniæ non solum consistit in hoc quòd pecunia detur, sed in hoc quòd expendatur. Sed expendere pecuniam refertur ad ipsum expendentem: & sic non videtur esse actus liberalitatis. Dicit enim Seneca \* in 5. de Beneficijs, Non est liberalis aliquis ex hoc quòd sibi donat. Ergo non quilibet vsum pecuniæ pertinet ad liberalitatem.

¶ SED contra est, quòd Philosoph. \* dicit in 4. Ethic. Vnoquoque optimè vtiur qui habet circa singula virtutem. Diuitijs ergo vtiur optimè qui habet circa pecunias virtutem. Ille autem est liberalis. Ergo bonus vsum pecuniarum est actus liberalitatis.

RESPONDEO dicendum, quòd species actus sumitur ex obiecto, vt supra habitum est \*. Obiectum autem, siue materia liberalitatis est pecunia, & quicquid pecunia mensurari potest, vt dictum est †. Et quia qualibet virtus conuenienter se habet ad suum obiectum, consequens est, vt cum liberalitas sit virtus, actus eius sit proportionatus pecuniæ. Pecunia autem cadit sub ratione bonorum vtilium: quia omnia exteriora bona ad vsum hominis sunt ordinata,

e. 1. non  
multū a  
prin. 10. 5

1. 2. q. 18  
ar 2.  
art. princ.  
ad 2. arg.